



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Decimum Sextum. Encomium Marianum Decimum Nonum. Virgo
Fidelis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*Encomium Marianum Decimum
Nonum.*

VIRGO FIDELIS.

EXimiam & foemineam quodammodo facultatem superantem *Ruth* moabitidis erga *Noëmi* focrum suam fidelitatem, non immerito eximijs præcellisque præconijs, vivo oris sui penicillo in sacris litteris depingit Deus: cum enim jam desolata *Noëmi*, utpote viro suo utroque filio *Orpha* & *Ruth* maritis divina manu destituta esset: ac nuribus suis juberet ut quæque rediret in domum matris suæ, eisque bene precata esset ac à se dimittere vellet: acquiesceretque dictis *Orpha*, nequaquam tamen eis acquiescere voluit *Moabitidis Ruth* sed focroi suæ discessum suadenti ait: *Ne roges me ut relinquam te, aut recedā à te, quocumque enim perrexeris pergam & ubicumque morata fueris morabor: populus tuus populus meus: ubi mortua fueris moriar ibique sepeliar, sic faciat mihi Deus & sic addat nisi sola mors*
supe-

separaverit me à te. Non immerito hanc
 tantam fidelitatem laudibus ac præconijs
 tantis celebrat sacra pagina. Quam tamen
 longe superat fidelitas illa quam omnibus
 ad se confugientibus, sese incessanter invo-
 cantibus, seque ejus patrocínio & subsidio
 commendantibus, exhibet Augusta cælo-
 rum Imperatrix, non Dei solum sed homi-
 num omnium se materna pietate matrem
 exhibens: *Commendatur* inquit *B. Albertus*
Magnus in Parab. Salom. B. Virgo MARIA
à sua fidei charitate quia matrem se nostram
nominat, & nos filios suos appellat. Prov. 8. in-
quiens: Nunc ergo filij audite me vocantem,
consolantem, pro vobis intercedentem, & vos
instruentem, Beati sunt corpore & anima,
qui custodiunt vias meas, viam humilitatis
contra superbiam, castitatis, contra luxuriam
largitatis, cōtra avaritiã: Et qui invenerit me
humiliter & devote & fideliter serviendo, in-
veniet vitam gratiæ & gloriæ & hauriet sa-
lutem animæ & corporis à Domino qui est salus
æterna. Et alio item loco in lib. Job. ostendit
inquit se liberatricem vociferantium peccato-
rum: Job. 29. Auris audiens beatificabat me
dicens Luc. 1. Benedicta tu in mulieribus & be-
 nedi-

nedictus fructus ventris tui: Oculus videns fidelitatem meam testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem misericorditer, & potenter pauperem vociferantem, id est peccatorem, quem diabolus suffocabat, infernus absorbere volebat, & contra quem omnis creatura insurgere volebat, & disponebat: Et pupillum cui non esset adjutor, nec inter Angelos nec inter homines.

§. I.

Est autem fidelitas mentis quedam invariabilis rectitudo, quæ inter amicos & inimicos, inter pauperes & divites, servos & Dominos generaliter locum habet: Est inquam obligatio quedam naturalis quia quod ad amicitiam rependendam, ad secretum commissum celandum, ad firmitatem propositi & etiam cuiuslibet promissi reddendam & habendam se sentit efficaciter obligatum. Eiusque affectus & effectus erga proximum maximè consistit in dilectione illius quod nimirum illum diligam⁹, illi subveniamus, illum supportemus & foveamus: Quis jam beatissimæ virginis, virginis utique fidelissimæ, charitatem fidelem, fidelitatemque charitativam verbis exprimat? quis inquam sollicitudinem

nem in peccatoribus subveniendo, charitatem in fovendo & amando, promptitudinem in succurrendo & subveniendo, patientiam denique in peccatoribus, eorumque peccatis ferendis sufficientibus encomijs, celebret & decantet. Certe amor ejus in homines quoscumque etiam peccatores tantus est, ut metas ignoret: Et quidem hunc Virginis in hominem humanamque gentem ardentissimum fuisse ex amore quo eadem virgo in Deum ferebatur colligere licet, cum pari passu incedant & secundum communioem Doctoris Angelici & sectatorum ejus sententiam unus utriusque sit habitus. Ut certe congruentissime ad eandem virginem Bñam proloquatur: *Petrus Dam. scio* inquit *o Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te & per te filius tuus summa dilectione dilexit.* Ac in eam optime conveniant ac quadrent encomia, quæ de æterna Dei sapientia spiritus sanctus protulit: *Ego* inquit *Mater pulchræ dilectionis & timoris & magnitudinis & sanctæ spei.* Eccl. 24. Nec est quod tantam virginis hujus fidelissimæ erga humanum genus nos in admirationem

nem rapiat, causam ejus ipsamet adducit in persona *Iob. cap. 31. Ab infantia mea ait crevit mecum miseratio, & de utero matris meae egressa est mecum*: unde misericordiam, pietatem, charitatem & fidelitatem cum ea adolevisse, jamque in caelo nobis veniam & gratiam illam deprecari, Ecclesiae consensus & nostra fides asserit. Pro hominibus dum vixit supplicavit, in nuptijs Canae Galileae, ubi filium rogavit ut tenuioribus sponis subveniret, idque impetravit: quod si hoc fecit in via, multo amplius faciet in patria. *Nam si compassa est inquit Bernardus mellifluus serm. 1. in Dom. 1. post Epiph. verecundia illorum à quibus fuerat invitata, multo magis compatietur nobis si pie fuerit invocata.* Maxime cum supplicare pro alijs ab amore proveniat, amorque beatorum ac praecipue Matris Domini ac Imperatricis caeli in patria perfectior sit quam in via fuerit: ac proinde & oratio ex tanta charitate fusa multo sit efficacior & penetrabilior quam ullius Angeli, Archangeli, sancti, imo etiam omnium sanctorum simul & collective sumptorum, ita prorsus ut si una & sola virgo beatissima quippiam rogaret, & omne celum

cælum reclamaret (uti Angelum Angelo restitisse narrat *Daniel*) potentior tamen esset Virginis Matris oratio quam cælitum cæterorum omnium.

§. 2.

GRæcis mos erat ut injuriam à se factam defensurus templum, aram vel statuam accurreret: Qui mos Imperat. ævo Romam migravit, unde & ingenui & fervi non in templis solum, sed ad quamlibet Imperatorum imaginem, aut statuam asylum repererunt. Imo si *Philostrato* fidem damus, si quis tantummodo Cæsaris imaginem in moneta signatam manu tenuisset eum cedere nefas fuisset: Longe securius nobis asylum est Mater Dei, templum gratiæ & SS. Trinitatis, & ara misericordiæ, si vel verbulo, vel gemitu accedamus hanc aram tutissimi sumus, imo infinitum tutiores, quam si Romanorum Imperatorum effigies manu teneamus: sub alis hujus phœnicis afflicti plurimum subsidij reperiunt: Et jure merito de hac Matre dicimus, *Filiij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt* Psal. 35. Et quilibet magno affectu pro se dicat. *Inhabitabo in tabernaculo tuo*

protegar in velamento alarum tuarum. Maxima tamen est hujus sacratissimæ Virginis erga peccatores amor, fidelitas & pietas: nec respicit quis, qualis, quantumque sit peccator quam enormia commiserit scelera, sed quemlibet ad se confugientem, imo ut asserit Thaulerus, quo quisque se sentit pluribus peccatis irretitum, tanto sibi justius videtur ad te accedere, & quanto est sceleratior, tanto majori jure ad te properare se putat: tu pergit idem auctor, es unicum reorum solamen, unicum peccatorum perfugium, ad quam respectant multorum humescentes oculi cui suspirant complura, misera, ac saucia corda. Et paulò infra, O quam innumeri ait peccatores peccatis dediti Deum deseruerant, omnemque celestis patriæ cætum ac Deum ipsum abjuraverant, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant atque à Deo misere separati erant, qui tamen tibi innitentes, & ad te confugientes benignissime servati sunt, donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur. Tu sanè es unica singularis & fidelissima peccatorum consolatrix. Te immensa Dei bonitas, & benignitas adeò fecit cunctorum peccatoribus amabilem, ut superabundans pietas & benevolentia tua non possit

nos non afficere & recreare. O quoties tremenda
 iudicis sententiam aut mitigasti aut avertisti.
 O quoties apud filium tuum nobis gratiam &
 consolationem impetrasti, &c. Verba sane au-
 rea, quæ utinam tot impij peccatores cor-
 dibus suis bene imprimant, & nequaquam
 de sua desperent salute. Nec minoribus en-
 comijs eandem beatissimæ Matris in pec-
 catores clementiam, fidelitatem & pieta-
 tem celebrat mellifluus Bernard. serm. pa-
 negyr. Tu peccatorē ait ad eam quantumlibet
 fetidum non horres, non despicias si ad te suspi-
 raverit, tuumq; interventum pœnitenti corde
 flagitaverit. Tu illum à desperationis barathro
 pia manu retrahis spei medicamen, aspiras, fa-
 ves nec deseris, quousque horrendo iudici mise-
 rum reconcilies, famosum hujus tuæ benignita-
 tis testimonium, est per te restauratus gratiæ
 Theophilus.

Sed unde inquires tanta Virginis S̄mæ
 in peccatores pietas & fidelitas? cum ma-
 xima inter illos & eam sit dissimilitudo, ut-
 pote cum ipsa sit sanctissima, illi impij &
 peccatis innumeris obnoxij: similitudo au-
 tem juxta Aristot. sit causa amoris, & dissi-
 militudo causa aversionis: cum experien-

tia doceat, quam difficile inter se conveniant, illi qui sunt diversæ complexionis & temperamenti: nam juxta *Horatium*:

*Oderunt hilarem tristes, tristemq; jocosus,
Sedatum celeres, agilem quavumq; remissi.*

Unde ergò tanta virginis sanctissimæ in homines impios amor & pietas? sed sciendum non solam similitudinem esse amoris causam, est & pietas innata: hinc videmus matrem probam & piam, filium impium quoq; diligere, ob innatam sibi pietatem erga filium & viscera sua; hæcque est causa cur nos licet peccatores, tantoperè Virgo sacratissima diligat, quia scilicet novit propter nos se esse matrem Dei: si enim non peccasset protoparens noster *Adam*, non fuisset certe necesse filium Dei incarnari, ac proinde nec Virgo sacratissima facta esset Dei Mater: scit etiam sibi à filio in cruce pendenti singulariter in filium datum *Evangelistam Ioannem* & in *Ioanne* velut figura totum genus humanum. Quomodo ergo poterit Mater pientissima despiciere aut non amare ac fovere filios suos adoptivos? ad propositum autem quærens *Seraphinus Firmianus* cur audaciorem fiduciam

in

in matrem quam filium erigimus : respon-
detque mox ex *Bernardo & Anselmo* : *Quia*
in matrem à filio divina pietas derivatur abs-
que justitiæ terrore. In filio licet attrahat pietas
terret tamen potestas. Scimus judicem eum a-
deo exactum, ut rationem de verbis etiam otio-
sis sit exacturus. Igitur terrore acti ad sinum
Matris nostræ Virginis Beatissimæ confugimus:
Securi de salute si ab ea numquam recedamus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Encomium Marianum Vigésimum

SPECULUM JUSTITIÆ.

NON ad exiguam Augustissimæ celo-
rum Imperatricis gloriam & magni-
ficentiam spectare arbitror, quod à S. Ma-
tre Ecclesia utique Spiritus sancti inspira-
tione ducta *speculo* comparetur. Et non cui-
cumq; sed *Speculo justitiæ*, sive hoc factum
ob nobilissimas speculi proprietates, ex-
cellentesque conditiones, quod sive ani-
matarum, sive inanimatarum constitutio-
nes ad vivum repræsentet, quod quæ in eis
fœda, deformia aut formosa pulchra oc-